



DISPUTATIO

D E

SACROSANCTIS ET
CATHOLICIS CHRISTI

Ecclesijs reficiendis ac
reparandis

Quam Diuino numine Beatissimæq; semper virginis MARIAE auxilio implorato, causa terribilis & maximè deplorandi nostri temporis status in destruendis Ecclesijs,

Authoritate magnifici & clarissimi viri Domini IACOBI CVIACII pro in utroque Iure
Licentiaæ gradu impetrando defendebat.

GEORGIVS AYBLINGERVS.

P A R I S I I S ,

Ex Typographia Michaëlis le Duc,
Anno à partu Deiparæ,

clo. Io. lxxxiii.

Theoph. Ignat. in Epist.
ad Philip.

*Dæmones omnem mouerant lapidem
ad crucem CHRISTI sibi exosam abo-
lendam.*

Ecclesiast. 4. cap.

*Initio vitæ, Diuina Iustitia triuit ho-
stem ut Ecclesiae Remanceret dignitas in-
violabilis & regnans.*



N O B I L I B V S, M A G N I-
F I C I S, E T CLARISSIMIS
viris, Dominis, IOANNI BERZEL, GEOR-
GIO HOLD, IOANNI STOR AB OSTE-
RACH, MATTHÆO STAINBERGER,
PAVLO TENNACKER, illustris ac gene-
rosi Domini D. GUILHELMI Comitis ab
Otingen, Cöfiliarijs, & CASPARO LAGO,
illusterrimi ac potentissimi Principis Domini
D. GUILHELMI, Comitis Palatini, virtus-
que Bauariae Ducis, Consiliario, celebrisque
INGOLSTADIENSIS Academiae Legum
professori & Camerario, Dominis suis longè
obseruantissimis. S. D.

N O B I L I B V S, M A G N I-
F I C I S, E T CLARISSIMIS
viris, Dominis, IOANNI BERZEL, GEOR-
GIO HOLD, IOANNI STOR AB OSTE-
RACH, MATTHÆO STAINBERGER,
PAVLO TENNACKER, illustris ac gene-
rosi Domini D. GUILHELMI Comitis ab
Otingen, Cöfiliarijs, & CASPARO LAGO,
illusterrimi ac potentissimi Principis Domini
D. GUILHELMI, Comitis Palatini, virtus-
que Bauariae Ducis, Consiliario, celebrisque
INGOLSTADIENSIS Academiae Legum
professori & Camerario, Dominis suis longè
obseruantissimis. S. D.

O VIT me diurna, at-
que adhuc instans & ex-
ulcerata rabies quorun-
dam in Belgia, Nobilif-
simi ac magnifici viri,
qui (prob dolor) in Sacrosanctas & Ca-
tholicas CHRISTI Ecclesias quasi in
Sylva lignorum securibus exciderunt ia-
nus templorum & sanctuariorum Dei;
vti Regius ille Propheta deplorando olim
A ij

4

incendium templi & vastationem urbis
sancte & calamitates populi usus est his
verbis. De vs venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templo
sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in aceruos lapidum. *Quis ex Catholicorum Christi fidelium communione, hac verba calamitosissimis praesertim nostris temporibus non perpenderet?*
& sine intermissione continuoque ploratu ingemisceret: cum debachantem & mirum in modum contra Salvatoris nostri victoriosam scilicet & gloriosissimam C R V C E M exasperantem hostem videre debeat. *Qui in saeculari & minimè anima salubri pompa, honore, & inani gloria consequenda vagatur & plusquam iustum & equum est sanguire molitur.* Venerabantur olim nostri in pietate & Christi timore, antecessores, cultum Diuinum ut non in vulgo sed à latere & singulariter positis locis, templum Dei struxerint, inde que bene fecerint, ne sacro sanctum & Di-

5

uinum Christi mysterium in obscuro seu in in honesto loco tractaretur: Hinc ob maiorem Christi nominis celebritatem deuotionemque, altaria erigere, calices & sancta velamina & alia que ad cultum Dominicæ Passionis pertinent venerari & addere coeperunt. Non quasi anima & sensu carentia & sanctimoniam non habentia, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda. Contra hæc perdi infideles & omnium impiissimi Haeretici, vir, audacia, & insolenti temeritate, illa omnia corrumpere, euellere, dissipare ac omnino funditus euertere turpi nimium insolentia nituntur. Domus iam præcationum apud illos pertinaces, inuidos, rabidos, scelestos, & insanos, clausæ sunt, altaria cultu spirituali vacant, spreta sunt patrum Decreta, traditiones Apostolicæ nihil fiant, recentiorum hominum adiumentiones ad gubernandas Ecclesias usurpantur, pastores pelluntur, subintroducum-

tur in eorum locum lupi graues Gregem
C H R I S T I dissipantes, ades Oratorie
 concionibus Ecclesiasticis destituta, solitu-
 dines referta sunt plangentibus, seniores la-
 mentantur, vetera præsentibus conferentes,
 iuniores hoc sunt mirabiliores quod quibus
 bonis priuati sunt ignorant. Sed quia te-
 meritas aduersariorum nostrorum hodie
 magna est intollerabilis est; non puduit (cū
 l. cū qui
 nocetem
 st. de in-
 tur.)
nostra & aperta esse debeant, id enim oportet & expedit) vitia & errores illorum cor-
 ripere, vobisque uti benè de me meritis, san-
 ctæque Orthodoxam fidem defenditis, vo-
 uere, dedicare, ac sub nomine vestro in pu-
 blicum emittere. Ita tamen me comparo ut
 qui multiplici anchora suum nauigium fir-
 mat: aut ut dignitatis amplissimæ homi-
 nes & animorum coniunctione pares mihi
 conciliem hoc tempore quo cum ad vos
 ex Gallia rediero percipiā aliquem huius
 vel gloriae vel doctrinae gustum: aut certe
 maximas virutes, quibus alijs ancellitib;

⁷
 summas ingenij laudes aliaque multa &
 magna rerum pulcheriarum exempla
 quæ in vobis eluescunt mihi proponam ad
 imitandum. Agedum **I O A N N E S B E R-**
Z E L I Cancellarie dignissime te compel-
 lare audeo quem ad omnem gravitatem na-
 tura finxit & iampridem pro dignitate et
 summa honore pro patria nostra **V V VAL-**
L E R S T A I N I A N A respondere illam-
 que prudentia tua inuare cœpisti. Te
G E O R G I H O L D I ipse fons & fa-
 cundia Reipub. iustitiaque defendenda al-
 loquor, quem anteactis annis ad calum vs-
 que nostra enexit patria, eademque adhuc
 semper obnixè laudat, quem nunc Respub.
 Otingensis pro præcipuo & primo guber-
 natore defensoreque suspicit, & exoscula-
 tur, quem illustris ac generosi Domini, Do-
 mini, **G V I L H E L M I** Comitis ab Oti-
 gen aula unum ex iis colit quos alias con-
 sultissimos prædicat. Teque **I O A N N E S**
S T O R A B O S T E R A C H prefecte
 aule meritissime prædico, cuius fides &
 A iiiij

dignitatis vis tanta est, quam uniuersa nostra patria miratur, talem officij tui honorem & fidelitatem præbes, sine quo illustris noster Dominus G V I L H E L M V s Comes ab Otingen omnia reliqua ruinosa duceret. Pariter te Clariſſime M A T H Æ E S T A I N B E R G E R inter reliquos non minimū extollo, qui patriæ nostræ aliquor abhinc annis, tuis exquisitiſsimis consiliis mirabilitè præuidisti, propterea illa te concepta iam tua iusta & ſenili etate tanquam experientiſimum libenter conſulit. Te quoque vir excellentiſime & eloquentiſime Domine P A V L E T E N N A C K E R accedo, quem ex meritis, acumine iudicij, doctrina, fide, boni omnes certatim laudant, induſtrij admirantur, eruditii complectuntur, quid multa? omnes quotquot ſunt de ingeniis & virtute aliqua insigni de tuo munere & honore quo in patria effulges, indicare, & iusto calculo diſcernere poſſunt. Te quoque C A S P A R E L A G E facundiſſime ſaluto, cuius auxilio &

9

ſtudio iampridè cū I N G O L S T A D I I ſacratiſſimiſ legibus operam dabam, teque docentem qua potui industria audiebam, ſum fulcitus; quamobrem non immerito clarissimus vir Dominus I A C O B V S C V I A C I V S p r e c i p u m G A L L I æ in explicandis iuribus lumen, hanc ſtudiorum meorum in me dignitatem, nempe ſecondam iuris utriusque lauream, ceu (ut vocant licentia gradum) confeſſe voluit. Quem honorem etiam tuo nomini, cui ob plurima accepta beneficia multum debeo, dedicare, fouere, ac commendare placuit, ut quicquid landis inde conſequar, tibi tanquam præceptorи meo fideliſſimo alijsque quorum ope ad id adductus ſum officioſiſime deferam. Præſertim quoque Nobili & excellētiſimo viro, Domino, B E R N A R D O V V V S E M B E N T Z encomia dico, qui, omnibus virtutibus dignus, me plusquam per annum P A R I S I I S, idque ſtudiorum legalium ratione, quæ ego & filius ſuus dilectiſſimus C A R O L V S adiun-

cēm cōmunicanīmus, tractauimusque semper, amicūm suū, & in posterū etiā multò magis appellare & cognoscere constituit. Ingeniosis enim quemadmodum ipse C V I A C I V S & humanissimis persuasionibus, ut ad iuris quendam honorē, dum essem in Gallia, concenderem, me allexit, cui ob mei meorumque commodū & decus haud improbè renui. Et si qua unquam aduersæ fortunæ necessitate fuisse astrietas, mihi tanquam filio suo largissima promptissimāque manū (quod & factū aliquoties ostendit) subuenire libentissimè obtulit. ob eiusmodi idcirco illius merita quo adusque sp̄iritus rexerit artus sui suorumque nunquam obliuiscar. Sed quia nihil à vobis, Magnifici viri, agi scio, non moderatum, nihil non æquabile, nihil quod cum ea quam sustinetis in Repub. dignitate non consentiat, nolim pro mea unius libidine vel tenuitate splendorem clēris morum vestri nominum obscurare; Attamen quantumvis de reparandis Ecclesiis

11

mea disputatiuncula breuis & exigua sit (Panegyricū namque in huiusmodi DD. Galli componere inhibet) dignè tamen cum hoc nostro turbulentissimo tempore minus obscura videatur accipite, protegite, & furete, meque pro vestra summa humanitate & amplitudine (viti planissimè spero) excipite semperq; me cōmendatum habete. Valete Parisis ex meo Musæo. 17. April. Anno partæ salutis, CL. IO. LXXXIII.

M. M. VV.

Deditissimus G E O R G I V S
A Y B L I N G E R V S.



THEISIS PRIMA.

ECCLÉSIA Catholica ab hinc multis annis tyrannorum insidijs obruta & diabolii pietatis hostis tanquam apti de sylua inuasionibus vastata, omnique impietate repleta est, quæ tandem ut post illam abominationem desolationis ad maiore splendorem euehat, meritò publicè proponi debet.

I I . VERBORVM in primis *Reparationis & Refectionis* vim & potestatem declarabimus, & secundum Vlpiān. respōdemus, quod reficere seu reparare sit in pristinum statum id quod corruptum est restaurare.

I II . Vnde omnia illa quæ ad opus perficiēdū necessaria sunt, vt pote, regere, substruere, sarcire, aduehere, apportare &c. comprehendimus.

III I . PRIMÒ hæret in hoc disputatione; An detecta, cōfracta seu exp̄lata Ecclesia, is ad quem onus refectionis pertinet, pari omnino modo ac ratione qua ante fuit, eam reparatque ei de planè similibus ornamentis prouidere tenetur.

V. VT autē SSancti mysterij exercitium in pristinā suam dignitatem & formam restituatur non adeo fixè & scrupulosè verbis IC. nostri in sua definitione, in secūda thesi supra data insistendum est.

VI. NAM in iure id periculosisssimum est, sed maiore publico bono subinde fiet, si templa diuino numini dicata & citius & minore reparatis dispendio reficiantur, quā si sumptuosiore opere, longioreque ac tardiore manuneglecta differantur.

VII. AD reparationem seu refectionem sanctissimarum & Catholicarum CHRISTI Ecclesiarum or-

namentorumque earum, primo loco tenentur, impij Iconomachi, scelerati templorum euersores.

VIII. Et iij qui diuino timore postposito, sacrilegas suas manus domui Dei immani furore ac rabie iniecerunt.

IX. Id vero tam ex iure Diuino, quo vnuſquisque damnum quod intulit alteri restituere cogitur: quā iure naturæ & secundum leges scriptas atque canonicas sanctiones.

X. ADEO quidē quia fauor Ecclesiæ tantus est ut cōtra ciuiles cōstitutiones tacitā Hypothecam tribuat.

XI. QVI A æquitas Iuris canonici quæ animæ fauorem respicit & eius liberationi consuluit pro restituzione rerum ablatarum damnoque illato bona delinquentium tacitæ Hypothecæ supponit, & tam contra hæredes eorum, quam contra alios quoscunque eorum possessores per-

sequutionem concedit.

XII. QVOD similiter mulieri tacitam Hypothecam ante alios anteriores creditores habenti, propter causam nimis fauorabilē præfertur.

XIII. EST enim Ecclesiæ causa longè fauorabilior quam priuati alicuius alijs creditoris.

XIV. SI vero remissio seu abolitio delicti à Principe sit ab illo, qui res sacras impiissimis manibus fēdauit, impetrata, Ecclesiæ minimè præiudicat, sed ad restitutioñē tenetur.

XV. NAM QVE vt in foro conscientiæ habetur. Peccatum nullum remitti nisi restituatur ablatum, nec Princeps vñquam alijs, quam ipsæ leges esse debeat, cum per illum iura nascantur.

XVI. SVB INDE est quod quando Princeps remittit pœnam corporalē aut pecuniariam applicādam fisco, vel quando indulget homici-

¹⁶
dæ, semper in dubio præsupponit & includit pacem seu recōciliationem defuncti, cum satisfactione & pænā pecuniariam parti applicandam.

XVII. R E S C R I P T A namque Principum siue priuilegia alieno iuri præiudicare non debent; cum iniquum sit Principi, ipsas quas condidit leges turpiter in alterius detrimentum statuere.

XVIII. E T si quid Magistratus negligentia Ecclesiis ablatū sit, omnino ad restitutionem tenentur.

XIX. V E L si quie eo tempore belli turres vel vicinas ædes ad publicū vel cōmune commodum deformatrunt, æstimationē refundere debet.

XX. E T nedium onus hoc oblationis consuetudo ad laicos, verum etiam ad Parochianos transmittit.

XXI. R E C T O R tamen Ecclesiæ quantumuis parochiani ex consuetudine teneantur, nihilominus cu-

ram

¹⁷
ram suam impendere, & Episcopo si opus sit, rationem de eiusmodi reparatione reddere debet.

XXII. F O R E N S I B V S etiam ratione bonorum quę in loco possident, collecta, pro reparatione Ecclesiæ imponi possunt.

X X III. I D Q V E locū habet quādo onus principaliter imponitur rebus, & ad earum vel reparationem vel tuitionem vel defensionem.

X X III I. S I M I L I T E R ij qui redditus, prouentus, seu decimas recipiunt, reparatione tali onerantur.

XXV. V T sunt Prelati, Episcopi, Canonici, Rectores, & alij omnes clerici beneficiati.

XXVI. E T quia Reip. interest, vt ministris Ecclesiæ iusta alimenta referuentur, vt templo diuino numini dicata reparentur, itaque populus ad contributionem vocatur.

XXVII. Clericus criminosus, seu

B.

concubinarius, arbitrio Episcopi fabricę Ecclesię aut alteri pio loco propria ad dandum vel contribendum condemnari potest.

X X V I I I . Actio reparationis Ecclesiarum dicitur esse popularis quia causa pia est, sic quilibet de populo agere potest.

X X I X . Popularē autem actionē cā vocamus quæ datur ex causa populari, hoc est, ex facto, quo res quæ sunt populi violate sunt, & quā potest quilibet mouere de populo, vt ne quid in loco publico vel in via publica fiat, ne quid deiiciatur aut effundatur ex cenaculo, ne quid appensum habeatur in pergula.

X X X . Institutio super reparatio-ne Ecclesiarū mixti fori est. Ecclesiasticus Iudex cognoscit contra laicos de pia causa, & principis officiū intēdi debet circa reputationes Ecclesię.

F I N I S.

ΣΥΓΧΑΡΗΤΙΚΑ.

**I N H O N O R E M C L A R I S S I M I E T
O R N A T I S S I M I V I R I , D O M I N I
G E O R G I I A Y B L I N G E R I W a l -
l e r s t a i n i a n i , e x C o m i t a t u O t i n g e n s i ,
c u m P A R I S I I s o l e n n i t e r v t r i u s -
q u e I u r i s L i c e n t i a t u s i n -
a u g u s t a r e t u r .**

*Nobilis & egregij iunioris C A R O L I W U S E M -
B E N T Z L L . S . C o m m i l i o n i s f u a u i s s i m i .*

Tu m varias mecum virtutes pectore volvo;
(Quarum chare tibi magnus aceruus adest)
Hærcō: per medios fluctus, tumida aquora perque
sistitur in medio, turbida nostra ratis.
Non animus dignè siquidem meditarier illas,
Nec potis est, nostra, has tollere, Musa satis.
Sine etenim volumus dotes spectare supremas;
Quas perhibent primum mentis habere locum:
Tu merito primas, primosque tenebis honores,
Nec manet indignè prima corona tibi.
Es iustus, fortis, prudens, & fidus & omnis;
Temperiem, alma cum Religione, colis.
Sine externa iuuat potius describere dona,
Materies in te carminis ampla datur.
At non Natales, non h̄c, quo sanguine natus
Carmine nec referam, sit tibi quæ Patria:
Non, quæ vita tibi, qui mores, quiue fuere
Actus, qualis erat nocte dieque laboris.
Ars tua sufficiat: quam dicere carmine dignè

B ij

S'i possem totum me memorasse puto.

Hac sine, non tanti, talesve feruntur honores,

Hac sine, nec cuiquam gloria tanta venit.

Immortale viris deus haec illustribus adferit,

Nomina doctorum, tollit ad astra poli.

Huius amor iunxit stimulos, calcaria prima,

Ad virtutis iter, Docte G E O R G E, tibi

Hac te Pieridum turbæ sociavit: & inter

Doctiloquos, nomen fecit habere, viros,

Hac tu suffultus; ceu cum stat in agmine miles

Magnanimus, membris pectori, mole, valens:

Cui mora nec requies, deuincat ut ictibus hostem,

Victricis palma primaque signa ferat;

Es vigili intrepide scrutatus cuncta labore,

Mollia miscebas otia nec studiis,

Donec inexhaustus iterum ac itrumque renoluens

Astreae nexus, difficileve vias;

Venisti ad placidum portum, victricia Victor,

Signa ferens, pauci dulce laboris onus.

Vnde, nec immerito, tanto te donat honore

C V I A C I V S, Iuris gloria summa sacri.

A V A R I C I Q V E virum doctorum, tota Corona;

Qua vix sub calo clarior villa viget.

Cum per eos Iuris tibi, rite L I C E N T I A fertur,

Iustitiaque per hos, præmia pulchra capis.

Cum data libertas tibi, qui discipulus olim

Per sedulius fueras, maximus & Themidas

Auditor: modo dicaris bonus esse magister

Illus, & custos impiger atque vigil.

Nec minus ipse tuus Princeps, summus Heros

G V I L E L M V S, Legum semper amator acer;

Laurus est triplex, moruit qui, tempora circum

Ut sua: tot celi sunt benefacta Duci.

Gratatur, gaudetque nouum venisse B I A N T E M:

Hunc ut consilii iungat & inde suis.

Ergo age in eternos nomen transmittere soles,

A T B L I N G E R, stirpis maxima fama tua.

Pœnitent nec te tam multam impendere curam

I V S T I T I A, fiat nec labor iste gravis.

Haud frustra sulco procindes (credito) terram,

Nanque manent, meis, commoda certa, tua.

AD CLARISSIMVM ET ORNA-
TISSIMVM VIRVM G BORGIVM
AYBLINGERVM Iuris vtriusque Li-
centiatum. Nobilissimi viri Domini
CASPARIS DE HOLSTEIN,
SVEGI. Carmen Paræne-
ticum.

EST Deus in nobis, sunt & commercia cœli:
Hoc verum ostendit, iam tuus iste labor.
Dum renouare cupis, celestia dogmata C H R I S T I:
Quæ neglecta diu, squallida ubique iacent;
Hocce tuum desiderium, sat nouimus esse
Ornum, syderij numinis auspicio.
Quare age, confirmare pia hac conamina perge,
Eternum pretium, calitus accipies.

A V M E S M E S^r. A YBLINGEI
WALLERSTAINIAN: DE LA COMTE
d'Oting, Licencier en Droict Ciuil &
Canon, SALOMON VERDIER
PARISIEN, chante par
congratulation.

ON te donne à bon droit le degré de Licence,
Par ceux là merité, qui ont la cognoscience
Tat du saint droit divin, qu'ausi du droit humain:
Car tu as consumé non deux ou trois iournees,
Ains accomply du tout sept entieres années,
Pour talloner apres Scenula le Romain.
Ce degré, AYBLINGER, nous fait assēz cognoître,
Que doreſenant on te verra paroître
Pres des Roys, & Seigneurs; cōme paroît aux Cieux
Le beau fils de Latone, Astre enfanté-lumière,
Lors que tous les matins pour faire sa carrière,
Il tire de la mer son blond chef radieux.
La Cité est par Loix en honneur maintenuë
L'audace des meschans est par eux retenuë,
Et partant on les doibt grandement honnorer:
Toy donc qui pour des loix auoir la cognoscience,
As daigné de si loing venir en nostre F R A N C E
D'un loz, bien merité serois à decorer.
Mais ma M V S E ne peut traicter chose si grande,
Car cela appartient seulement à la bande
Qui a dis Pellien receu plus de faveur,
Et au plus fauory de la docte Neufuinne,
Qui sifé sur le bord de l'onde Chinalinne,
Abrenue nos eſprits de fa sainte liqueur.

F I N.